

157.

Schiffen.

his.



V

0011

(alt Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.

21

Q. B. V.

DISSERTATIO MORALIS

DE

PRINCIPIIS ACTIONVM HVMANARVM

Q U A M

D. O. M. A.

P R A E S I D E

SAMVELE RACHELIO

Phil. Moral. P.P. Ord.

IN ILLVSTRI AD ELMVM IVLIA

Publica Eruditorum disquisitioni subjicit

DANIEL NESSELIVS

Luneburgicus,

In Aula Majori

ad d. XXV. Febr.



HELMESTADII

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typog.

c1o1o c LX.



Q. B. V.
DISSERTATIO MORALIS
DE
PRINCIPIS A-
CTIONVM HVMA-
NARVM

Q. S. N. M.
D. O. M. A.

PRÆSIDÈ

SAMUEL RACHFELDIO

Phil. Mot. P. P. Ord.

IN ILLUSTRIS ACADEMIA
Catholice Fridericæ Lipsiensi
DANIEL NITSCHELIUS

Lanenburgicus,

in loco Regis

ad d. XXV. Febr.



VELLESTADII

Typis Heroldi Muleri Acad. Typog.

1769





Q. F. F. Q. S.

THESIS I.



Vtilissima, nisi me fallunt animi auguria, & maximè necessaria doctrina est hæc nostra Moralis, inque illâ Nobilissima, & ad omnem vitam Civilem cognitu imprimis necessaria illa portio, quæ in nonnullorum *πρῶτοι μὲντων* seu requisitorum, ut actiones sc: titulum vel bonitatis vel malitiæ moralis indispiscantur, (hæc in Scholis Ethicorum *Principia humanarum actionum* appellari consueverunt) tractatione desudat. Novisse enim quid à Volentibus fiat, quid ab invitis, quid ex destinato firmoque animi proposito profluat, quid ex præviâ Electione, Consultatione, quid ex affectu, aut imbecillitate aliqua proficiscatur, mirum, quantum ad actiones morales dextrè dijudicandas adferat momenti, adeò, ut si quis accuratè hæc dignoscere nequeat, illum totius humanæ vitæ rationes turpiter ignorare, necesse sit.

II.

χρήσιμον δὲ καὶ τοῖς νομοθετοῦσι πρὸς τὰ τιμὰς, καὶ τὰς ποινὰς. Legislatoribus etiam hæc consideratio ad honores penasq; decernendas est necessaria, inquit Philosophus in frontispicio c. 1. l. 3. *Eth. Nicomach*: Quomodo n. ii, qui justitiæ præsumt, aut ad clavum Reipubl. sedent, præmia largiri, aut pœnas imponere subditorum actionibus convenienti modo poterunt, nisi prius ex quibus principi-

A 2

is pro-



is profuant, probè perspexerint? Nequè enim æqualibus pænis aut præmiis omnes actiones mañandas, sed animum & intentionem agentium probè æstimandam esse, nemo, nisi rerum Civilium imperitissimus, ignorat. Accedit insuper, quod omnium actionum dijudicatio, laus item & vituperium hinc dependeat, adeoque nec Virtus definiri, nec Vitii genuina indoles sine mentione, & accuratâ notitiâ horum principiorum intelligi posse videatur. Quæ cum ita sint, inprimis necessariam hanc de Principijs actionum humanarum tractationem esse, nulli prorsus dubitamus; quippe cum ejus usus, non privatim tantum, sed & publicè, manifestissimis sese indicijs exserat.

III.

Sed antequam rei ipsi explicandæ immergamur, pauca in antecessum præmonere volumus, ne illotis, quod ajunt, manibus negotium aggredi videamur. Vox Principij, ut ex Metaphysicis latissimè patet, multis modis dicitur. Hic dicimus esse id, à quo aliquid profluit, aut habet, ut sit, ita ut prioritas unius & cõsecutio alterius illud excipiat: Vel ut ad rem ipsam alludamus. Sunt hæc principia fontes & scaturigines, ex quibus actiones humanæ derivantur. Prima videlicet virtutum vitiorumque cunabula, ex quibus operationes prodeunt, & ex quarum frequentatione habitus oriuntur. Quando autem quatuor humanarum actionum fundamenta constituimus, non existimandum, numerari illa & distingui ita, tanquam omni ex parte & realiter distincta, sed ex naturâ materiæ, & tanquam commune à minus communi differens. Quæ etiam distinctio hîc sufficere debet, cum manifestum discrimen in ipsis actibus hinc resultet, ut ex generali principiorum collatione elucescit.

IV. Dein-

IV.

Deinde de actibus exterioribus nobis sermonem esse, quæ cum in sensûs & publicam lucem incurrant, Actiones κατ' ἐξοχὴν in Civilibus appellari consueverunt; quarumquæ internæ, quas vocant, sunt illa ipsa principia proxima. Per has autem externas non quas ab homine proficiscuntur, ut *Necessarias s. merè Naturales, nec Actiones sensuum*, sed illas demum intelligimus, quæ spontaneæ, & ex præviâ cognitione, atque electione, proficiscuntur. Observari porrò meretur, sufficientem esse quaternarium Principiorum numerum, nimirum *Spontanei, Electionis, Consultationis, Voluntatis*, adeoque nec plura, nec pauciora iis possideri, cum nulla actio, quæ humana est, mente possit concipi, quam non ad unam horum principiorum classem commodè retuleris. Quâ de re uberiora, & ex rei ipsius fundamentis hausta, vide, si lubet in *Beati D. Horneij Phil. Moral. p. 316. & in Amplissimi nostri D. Eicheli Diss. de Princip. Act. humanarum Th. VI.* Sed nos sequestratis amplioribus præliminaribus ad specialem ipsorum principiorum tractationem, Divina favente clementiâ, accingamur, quam si pro rei dignitate fusius, accuratiusquæ pertractare velimus, nimium, quantum excrelceret *Dissertatio*: itaque eâ, quâ poterit brevitate, & velut in *Synopsi*, pro virium & ingenii tenuitate, rem ipsam repræsentabimus.

V.

Ut verò eò feliciter omnis de his *Disputatio* procedat, nos *Præceptoris Ducisque nostri Arist.* auspiciis secuti, ipsius *Inviti* naturam explicabimus, non eâ quidem fine, ac si *Invitum* inter principia actionum humanarum etiam numeremus; tantum enim abest, ut *Invitum* principium actionis humanæ appellari, ut ipsius *privatio* potius jure vocari possit; adeò quidem, ut actio mo-

ralis esse desinat, neque bonitatis neque malitiae revera
particeps sit, quam quis non sponte sua, sed invitus exercuit
te dicitur, sed ut per privativi, Inviti sc. declarationem, po-
sitivum i. e. spontaneum facilius elucescat. *Est vero In-
vium*, docente Philosopho l. 3. Eth. Nicomach. c. 1. id
*quod violentum est, aut ex ignorantia geritur, quam tamen subse-
quitur poenitentia.* Et vero ut definitioni huic Aristoteli-
cae uberior lux affulgeat, pauca in rei meliorem cogniti-
onem lubet altius reperere. Omnium nimirum, quae ab
homine geruntur, actionum, duo quasi sunt summa ca-
pita, Voluntatis nimirum, & Intellectus mutua conspi-
ratio. Si enim moraliter aliquid agere satagis, necesse
est, & apprehensivae & appetitivae facultatis motum con-
currere, sociasque adeo sibi jungere operas. Iam si al-
terutra, vel Voluntatis, quae est instar Reginae, corporis
membris, veluti organis utentis, appetitus sufflaminabi-
tur, vel Intellectus cognitio impediatur, manca erit, &
imperfecta actio: adeoque ab illius absentia Invitum per
Vim s. violentiam, ab hujus vero per ignorantiam pro-
manabit.

VI.

*Invitum per Vim s. violentiam est, cujus principium s. cau-
sa movens ita extrinsece seu foris est, ut illud, quod agit, aut pati-
tur, nihil ad actionem vel passionem conferat. 3. Eth. c. 1. h. e.
ut sponte nec patiendo, nec agendo quicquam adjumenti
conferat is, cui actio aliqua tribuitur, sed interno potius
voluntatis actu, & si possit, omnium externorum mem-
brorum viribus actioni aut passioni reluctetur. His ita
praemissis, duobus requisitis actionum violentarum na-
turam absolvi arbitramur. Nempe, i. ut primum mo-
vens, seu actionis vel passionis principium foris sit, adeoque
contra appetitus & voluntatis illius, cui forte illa actio
tri-*

eribuitur, inclinationem, 2. ut subiectum, cui vis fit, nihil opis aut adjuventi, actioni aut passioni vel accersendæ vel promovendæ conferat, quin potius omnium facultatum, aut corporis membrorum viribus, si non actu, inclinatione saltem in contrarium propendeat.

VII.

Quare Violentum illud est, cum principium ejus, quod vi fit, non tantum foris est, sed etiam is, qui actionem vel passionem suscepisse dicitur, non unâ agendo rem illam adjuvat, nec voluntatem agendi aut patendi adfert. Violenta igitur, ut ex allatis conditionibus apparet, fuit actio, cum Antiochus Tyrannus pios ludæos hederâ coronatos per Lictores summâ vi ad Bacchi sacrificium pertraxit: Ut videre est 2. *Macab. c. 6. v. 7.* Violentia quoque esset, si quis ventorum vehementiâ ad hostile litus deferretur, aut validissimâ Licetorum manu ad mortem raperetur is, qui nihil mallet, quàm diutius vivere.

VIII.

Ceterum cum violentum duplex sit, aliud *ἀναλυσ* & simpliciter ita dictum, cujus causa mera & violenta est coactio, de quo jam egimus, aliud *κατὰ π* s. secundum quid, quod ita cum coactione temperatum est, ut partim ex vi externâ, partim ex actu voluntatis, in graves angustias redactæ, resultet; consequens est, ut paulò altius & in hujus essentiam inquiramus. Solent autem illæ actiones, quoniam partim ex intrinsecâ voluntatis inclinatione, partim ex foris accedente causa, sc. spe majoris boni, vel metu majoris mali, contemperantur, *Mixtæ actiones* non incommode appellari. Exemplum nobis suppeditat textus Aristotelicus, l. c. Veluti si Tyrannus, cujus in manu parentum & liberorum vita sit, Viro probò, ut rem indecoram faci-

at.

at, imperaverit, & eam quidem legem, ut si fecerit, incolumes, si non, omnium fortunarum, vitæque adeò ipsius detrimentum patiantur. Aut ubi in procelloso æquore, cum

*Vna Eurusq, Notusq, ruunt, creberq, procellis
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus,*

Præsentemq, Viris intentant omnia mortem;

constituti mercatores, ne ipsius etiam vitæ jacturam patiantur, navem potius exonerant, & vel pretiosissimas merces in iratum & tumultuans mare, redimendæ incolumitatis ergo, projiciunt. *Has actiones, si simplici & absoluto conceptu seu in universum eas consideraveris, invitæ; si vero circumstantias, quibus investitæ sunt, respexeris, imprimis quo tempore & sine suscipiantur, spontaneas censebis.*

I X.

Et verò quamvis hæc & similes actiones Inviti aliquid & spontanei participant, ita tamen mixtæ sunt, ut ab eo, quod sponte est, plus, quam invito habeant. Hoc ut eò facilius demonstremus, sciendum est, cum actiones nostræ in singularibus attributis occupentur, æstimari eas præcipuè ex circumstantiis, sine sc. vel tempore, quo agens eas exercet; adeò ut talis sit actio, qualia sunt illa, quæ eam circumstant, unde l. 3. c. 1. Arist. ait, *finis actionis in temporis conditione consistit, quæ Paraphrastes Græcus ita proponit: Vniuscujusq, actionis finis talis aut talis est pro tempore, & respectu temporis aut bonus fit, aut malus. Quare id quoque, quod sponte est & invitum, respectu ejus, quo fit temporis, spectandum est.* Jam verò si eas actiones, quas in mixtarum classes retulimus, paulò penitius contemplantur, ijsque hæc præsupposita applicabimus, elucescet sanè, eas, consideratis ijs circumstantiis, cum quibus fiunt, esse spontaneas.

X. Dein-

X.

Deinde cum actionum illarum principium sit in nobis, adeoque agere & non agere possimus, quidni spontaneas illas appellaremus? Nauta enim, ut tritissimum illud adhibeamus exemplum, cum decumani fluctus fatalem necessitatem minitari videantur, magnitudine periculi deterritus, mavult jacturam mercium, quam ipsius adeo vitæ pati. Principium igitur, seu causam principalem projectionis in se ipso habet, cum sciens volensque tale quid perpetret: Quin etiam, quantum potest, ad actionem illam confert adjumenti. Ipse enim partibus corporis organicis, brachiorum scilicet, manuumque extensione, quæ motioni, tanquam instrumenta, subserviunt, actum hunc pro virili promovet, adeoque potentiam projiciendi, aut non projiciendi, quâ antea pollebat, in ipsum actum jam deducit.

XI.

Porro cum Actiones illas sæpissimè Laus & vituperium, Honor & pæna subsequatur, hætenus Spõte factæ sint, necesse est; Quis enim ea, quæ planè invitè, aut necessitate quâdam naturali, aut alias inevitabili peraguntur, encomio aut reprehensione prosequeretur, præmiisve aut pænis maceraret? Quod ut manifestius eluceat, nos *Quatuor* hujusmodi *Actionum genera* cum Philosopho in medium adducemus.

XII.

Prima illarum *species est*, quando scilicet aliquis, propter insigne aliquod bonum consequendum, aut averruncandum tale aliquod malum indecorum quid designat: Nam per τὸ αἰσχροῦ intellige non turpem moraliter, aut Honestati Virtuti que contrariam actionem, ad quam suscipiendam nec acerbissimis pœnis, aut exquisitissimis

B

tor-

tormentorum generibus Vir bonus adigi sese patietur, ut
ti *Eustratius Nicenus* doctissimus Philosophi interpretes expli-
cat: sed indecoram fortasse, & ordini illi, quem obtine-
mus, minus conuenientem. Tale fuit factum *Solonis*, in-
saniam simulantis, quò felicius, & absque periculo Le-
gem de bello contra Megarenses non renovando, abro-
garet. *Plut. in Solone*. Ita Nobilissimus Persarum *Zopy-
rus*, ut Babylonem, jam satis diu, sed incassum oppugna-
tam Dario traderet, sese ipsum auribus, naso, labijs am-
putatis, totâque adeò facie turpiter dilaceratâ, non sine
insigni Patientiæ exemplo, deformavit. *Herod. l. 4. Iust.
l. 1. c. 10. Liv. l. 2. Decad. 1. Val. Max. l. 7. c. 3.* Et hæ a-
ctiones, quoniam egregij alicujus boni consequendi gra-
tiâ geruntur, laudem omninò merentur.

XIII.

Secunda species est, quando quis propter exiguum ali-
quod bonum adipiscendum, id, quod indecens, commit-
tit. Ut si vir aliquis, in eminenti constitutus honoris
fastigio, levissimis de causis in foro aut celebritate homi-
num tripudiaret, aut ex re sordidissimâ, ut *Vespasianus*
Imperator, tributum exigeret. Elegans etiam huic rei
suppeditat exemplum mollior illa, & delicatior *Parasito-
rum* familia, qui qualvis pati divexationes & contume-
lias, aulamque adeò quassam, quò lepidissimus *Plautus* lo-
quitur, perferre gestiunt, quò pinguius modò jusculum in-
dipiscantur, ventremque adeò, turpissimis licet ministe-
riis, saginent. Hæ actiones, utpote levissimi animi in-
dices, quoniam nec honestatis, nec boni alicujus mayo-
ris gratiâ suscipiuntur, reprehensionem meritò incurrunt.

XIV.

Tertia illarum species est, cum quis gravissimorum cru-
ciatum aut dolorum vehementiâ, vel iis compulsus ma-
lis,

lis, quæ humanæ conditionis tolerantiam longè superent, vel urgentissimâ coactus necessitate, aliquid indecens aut inconueniens committat. Ut si quis tormentorum vi laceratus, aut in extremas adductus angustias, Amici aut Socij arcana prodiderit. Et has actiones, quoniam humanæ patientiæ limites excedunt, venia aut excusatio solet subsequi.

XV.

Quarta denique species eas complectitur, quæ tantam involvunt turpitudinem, ut dirissimi potius cruciatus & supplicia, imò mors ipsa oppetenda sit, quàm ut tali nos adstringamus sceleri, aut ejusmodi quid designemus. Seu, ut verbis utamur *Eustratii*, sui hâc in re immemoris, Nonnulla adeò gravia & immania peccata sunt, ut nihil ad ea perpetranda cogere nos debeat: Bono Viro omnia tormentorum genera, ac mors demum atrocissima subeunda potius, quàm tale quippiam agendum. Ut si quis metu infamiæ, paupertatis, exilij, mortis, patriam proderet, veram Religionem abjuraret, aut Deum convitiis proscinderet. Incassum igitur *Alcmaeon* apud *Euripidem*, licet perterritus execrationibus Patris sui Amphiarai (imprecatus enim erat Pater Filio, sterilitatem agrorum, orbitatem, vastitatem, sexcenta mala, nisi matrem Euriphylum occideret) matricidium, cui se nefando crimine obligaverat, speciosis argumentis elevare conatur. Hæc enim cum adeò turpia sint & nefaria, nulla in iis venia aut excusatio locum habere poterit.

XVI.

Cæterum, quæ de mixtis actionibus in medium adduximus, novæ jam quæstioni occasionem præbent: An scilicet illæ actiones, ad quas Voluptatum, aut Affectuum vehementiâ impellimur, Invitæ, an verò Spontaneæ



dicendæ sint? Nos eas cum Philosopho ex violentarum classe rejicimus, & ridiculos illos putamus homines, qui Actiones, ad quas Voluptatum illecebris impelluntur, invitas esse & necessarias autumant, adeoque, ut excusationem eò facilius impetrent, vim amoris, formæque pulchritudinem, quæ potuerit non suos modò animos, molles, teneros, flexibiles, ut *M. Antonius Muretus in Comment. Eth.* eos depingit, sed feras, sed saxa, sed scopulos commovere, flagitiis suis prætendunt. Nec enim hoc Naturam inviti simpliciter absolvit, ut principium actionis sit extra agentem, sed insuper requiritur, ne quid opis, aut adjumenti agens ad eam conferat. Licet igitur aliquis dementatus formosissimâ mulieris pulchritudine, ejusque pudicitiam sollicitans, externæ causæ, adeò vehementis, illicium incuset, frustra tamen inde causæ suæ quæret patrocinium: Nam si hoc procederet, omnes actiones humanæ fatali tractu & ordine gererentur, nec ulla esset Libertas humana, & per consequens, nullæ actiones vel bonæ, vel malæ; cum nulla sit, quæ non ob jucunditatem, aut jam præsentem, aut certè mox subsequendam, suscipiatur actio: quod tamen velle statuere, nihil esset aliud, quàm *θεῖον διαφυλάττειν*. Impellit igitur Voluptas aliquem ad agendum, non invitè, non necessariò, sed sponte, licet *ἀπροαιρέτως*.

XVII.

Præterea cum Violentum omne appetitui contrarietur, adeoque Invitarum Actionum pedissequa sit dolor aut molestia, liquido apparet, Iucundas illas Actiones, quoniam summâ animi cum delectatione & prolubio perpetrantur, invitas minimè appellari posse: Cum omne id, quod Voluntati repugnat, non possit non dolorem aut molestiam adferre. Accedit insuper, si Voluptas

ptatum irritamentis ad peccandum incitarentur homines, nemini non, in ijs omnibus, quæ dissolutè, quæ intemperanter, quæ avarè, quæ perfidè, quæ crudeliter fecerit, ad hanc excusationem, tanquam ad aram, confugere liceret. Adulter enim formæ venustatem, Latro numerorum cupidinem, Ebriosus vini suavitatem, ut reliqua subiticeam, flagitiis suis prætendent, nullumque adeò scelus erit, nulla turpitudine animi, cui, si hoc procederet, non excusatio aliqua, & prætextus subministraretur. Quare, quàm absurda hæc sit sententia, nemo non, nisi rectam rationem, omnemque adeò honestatem ejuraverit, animadvertit.

XVIII.

Quin & hoc ipso ridiculi sunt, & ludibrium aliis debent, quod honestarum actionum causas sibi attribuant, turpium verò principia Voluptati: Adeoque ea, quæ extra sunt, incusent, non verò semetipsos, qui tam facile ebullientibus Voluptatum illecebris capiantur. Minus igitur rectè sentiunt *Cyrenæici Philosophi*, si *Acciajolo* credimus, & *Academiae Veteris Princeps Plato*, qui *Lib. V. & IX de LL. & in Timæo*, neminem suâ sponte improbum, sed vel à Voluptate, vel à Dolore, imperiosissimis Dominis, coactum esse, asserunt. Nam cum improbitas vel ab Infantiâ, vel ab ignorantia profluat, & verò nemo suâ sponte ægrotare cupiat, non spontaneam, sed invitam esse & coactam hominum malitiam, vero maximè videtur consentaneum. Ita illi. Sed Nos meliora informati & edocti, opponimus hisce pauca *Philosophi*, *εἰ δὲ ἐν ἡσίοις εἰσὶν αἱ ἀρεταὶ, καὶ αἱ κακίαι ἐν ἡσίοις αὐ εἰεν.* Adeoque tam liberè peccamus, quàm ilberè honesta agimus. Et hætenus de Invito per vim s. violentiam.

B. 3

XIX. Scu-

XIX.

Succedit jam altera *Invidi* species, quæ ab impeditâ facultate apprehensivâ, s. cognoscente oritur, diciturque talis, ut supra jam innuimus, *per Ignorantiam*. Est vero ea, quando actionis essentialis aliqua circumstantia ignoratur, quam tamen inscitiam agens non ipse culpâ suâ accersivit, quin imò potius, cum ita se egisse comperit, molestiâ & pœnitentiâ afficitur. Unde ad Ignorantiam excusantem duo requiruntur, 1. ut illa Ignorantia non crassa sit, & affectata, sed tollat scientiam, quæ si adfuisset, impeditura etiam fuisset actionem. 2. Ut id quod agitur, molestum agenti accidat, adeoque ipsum facti illius pœniteat.

XX.

Hoc ut eò melius intelligatur, sciendum est, duplici modo actionem ex Ignorantiâ posse proficisci. 1. Quando ex Ignorantiâ peccantem dolor ac pœnitentia subsequitur. Talis ab *Aristotele ἀναγ*, seu simpliciter invitè agens appellatur. Ut si quis globo trajiciens hominem post carecta latitantem, quem existimaverat esse feram, postmodum seriâ ducatur pœnitentiâ. 2. Quando ex Ignorantia peccantem non subsequitur dolor aut pœnitentia, talis à Philosopho, quoniam propter assensum voluntatis concomitantem, licet aliquo modo Intellectus cognitio antè fuerit impedita, ratam habet actionem, *ἐκ ἰκων*, non Spontaneus, s. non Sponte agens appellatur. Sic quidam cum emisso lapide alium petere voluisset, jactus verò illum fefellisset, & Novercam percussisset, ille, hoc cognito, Euge, neque sic malè, respondit. Ita etiam se habuit actio Tiberij, ad quem cum hospes Rhodius venisset, subjecit eum inscius tormentis, quem cum hospitem esse rescivisset, à tormentis ad necem protraxit.

XXI, An=

XXI.

Antequam verò ad varias Ignorantiæ divisiones accedamus, sciendum est 1. Ignorantiã esse privationem scientiæ, seu errorem iudicij in mente, falsa pro Veris amplectentem, cum in consilijs, tum in factis. *s. Eth. c. 8. 2.* Ignorare non esse simpliciter idem, quod nescire, cum *Nescire* illud etiã dicamur, quod nec scire poteramus, nec etiam debebamus: *Ignorare* verò, quæ scire poteramus, & pro re natã etiam debebamus. Adeoque *simplex Nescientia*, ut ita loqui liceat, *meram scientiæ s. cognitionis privationem*: *Ignorantia* verò, *vel pravam dispositionem*, quando malè de re iudico, *vel pravam negationem*, quæ est sola cognitionis privatio, non cum positivo aliquo conjuncta iudicio, includit. Vid. *Thom. 1. 2. q. 76. art. 6. 1. Post. c. 15. l. 2. Phys. c. 3. 3.* Ignorantiã dici principium Invitarum Actionum non per se, sed per accidens, in quantum illa est privatio ipsius scientiæ, quæ hoc vel illud factum impedire potuisset. 4. Denique notetur, nos non eam intelligere Ignorantiã, quæ est sine usurationis, & Voluntarium prorsus tollit, qualis est in Furiosis, Amentibus, Melancholicis, Dormientibus, sed eam demum, quæ est in hominibus, quibus ratio constat, & actiones propriè humanas edere possunt.

XXII.

Iam cum multiplex esse possit Ignorantia, Nos ejus differentias paulò altius expendemus, ut hac ratione, & ipsius natura, & in quantum actionem invitam & excusatione dignam reddere possit, plenius elucescat.

XXIII.

Ubi primùm se offert eximia illa distinctio, desumpta à personã illius, qui aut ignorans, aut ex ignorantia agere dicitur. *Per Ignorantiã is videtur agere, cujus actionis causa est ipsa igno-*

ignorantia, quodque ita egerit ideò, quod hanc, vel illam ignoraverit circumstantiam, quã verò perspectã, seriò animi angatur. Hic, quoniam facultatis apprehensivæ cognitio defuit, verè, & omnino Invitus egisse dicitur, qui per hanc peccat Ignorantiam. Ut si quis Venator jaculum in sylvam emitteret, aut dirigeret forte in quendam fruticem, sub quã pastor, isto inscio, latitaret, eumq; globo trajiceret, is culpã liberari poterit. Si enim scivisset, ibi delitescere Pastorem, non direxisset illuc jaculum. Verum accurratè etiam in hisce casibus erit iudici inquirendum, numquid Reus omnia diligenter caverit, quæ cavere in eiusmodi actionibus meritò debuisset, ne temeritas, vel etiam interdum inveteratum odium, aut simultas, aut culpa, ignorantia prætextu pallietur. *Ignorans* is dicitur *agere*, qui quidem, quid agit ignorat, ignorantia tamen non est causa actionis, sed aliud quid, quod ipse proprio jumento sibi accersivit. Tripli-
ci autem modo, ut vult Philosophus, Ignorantes exercere actiones possumus, 1. Per Affectum aliquem vehementiorem, puta Iram, Amorem, 2. Per Ebrietatem, 3. Per habitum Vitiosum. Qui Affectuum vehementiã abrepti, Ignorantes agunt, licet aliquam suarum Actionum ignoraverint circumstantiã, tamen non simpliciter excusationem merebuntur: Ipsi enim in culpã sunt, cum debuissent vehementiores illos Affectuum impulsus freno-
ræ rationis compescere, nec exsurgentibus Cupiditatibus laxas adeò indulgere habenas.

XXV.

Sic Iram non simpliciter excusare, sed mitiorem pœnam interdum impetrare, ex Ictorum, qui diligentiores & accuratiores in hisce rebus esse solent, monumentis discimus. Hi enim, (lubet autem ex iis pauca delibere) ut

re) ut pænæ moderatio adhiberi possit, requirunt, 1. Ut Iræ incendium à gravissimâ aliquâ causâ motum fuerit, adeoque justissimus existat inde dolor. Hinc l. 22. & 23. ff. ad Leg. Jul. de Adulteris legitur, quod Pater impûnè adulterum ipsamque filiam adulteram *ἐν αὐτῷ φάσκει* deprehensam, interimat. Tam gravis n. est ille dolor, qui tantam, tamque justam excitavit Iram, ut ei vix quisquam possit resistere. 2. Ut Ira planè fuerit enormis, ita, ut hominem de statu mentis quasi dejecerit, adeoque is sui non fuerit compos. 3. Ut fiat in continente, in medio sc. effervescentis Iræ cursu, adeoque non aliquo temporis spatio præterlapso Ultionem quærat: quam conditionem in retorquendis injuriis etiam ICTi solent requirere. 4. Ut illud factum subsequatur dolor aut pænitentia, ne per assensum Voluntatis concomitantè reddatur planè Spontaneum. Si hæc, aliæve ejusdem gravitatis circumstantiæ deprehensæ fuerint, tùm solet vel veniæ indulgentia, vel saltem pænæ mitigatio factum subsequi.

XXVI.

Secundus, quo ignorantes peccare possumus, modus est Ebrietas. Hæc vero, licet Ebrius crapulâ gravatus nesciat quid agat, non tamen Ignorantiam regulariter aut simpliciter potest obtendere, quia illius principium apud ipsum est: Ut autem Excusationem, aut pænæ ordinariæ remissionem indipiscatur, sequentia ICTi postulant requisita. 1. Ut Ebrietas admodum fuerit gravis, mentemque ad eò corpusque planè oppresserit, ut altâ quasi vertiginemersus, quid actum fuerit, ignoret. 2. Ne fuerit ab ipso captata, adeoque rei illicitæ operam dederit; hinc distinguere amant inter Ebrietatem, & Ebriositatem. De quâ Vide *Gailium 2. Obs. 110. n. 27. & seqq.* 3. Ut nesciat, se tale quid Ebrium unquam commisisse, aut ignoraverit vim liquoris.

C

quoris.

quoris. Nonnulli enim tam acerbis spiritibus pleni sunt, ut nec tale quid opinantem protinus occupent. 4. Ut facti pedissequa sit penitentia & dolor. Si nec hæ præcipuæ Conditiones adfuerint, tantum abest, ut actio illius tanquam Invita impunis sit, ut etiam secundum Pittaci Mitylenæi sententiam majori duplicique pænâ dignus esse videatur. 5. *Eth. c. 6.*

XXVII.

Tertius, quo Ignorantes agere dicimur, modus est, si quis ex habitu vitioso, quem pravâ assuefactione contraxit, delinquat. Verum licet mens adeò obnubilata vitiorum tenebris, vix id quod agendum, ab eo, quod fugiendum est, possit secernere invicem; tamen eo ipso severioris animadversionis moderamen vitiosi haut sperare poterunt; Cum enim sponte vitia contraxerint, ultro etiam ipsi sibi ignorantiam præceptorum Virtutis, omneque adeò malarum actionum exercitium & supplicium accersiverunt: & sicuti Virtus est habitus proæreticus, ita non minus Vitium homines improbi crebris actionibus malis destinato consilio imbibere.

XXIIX.

Sequitur nova & insignis distinctio, ab ipsis rebus, circa quas agens ejusque Actio versatur: quâ dispescitur Ignorantia, ut sit vel Universalium vel Particulariû. *Universalium* non incommodè vocabitur, si quis velit prætere suæ facti talem forsitan Ignorantiam, ut etiam ipsa principia Universalia, seu propositiones naturâ notas ignoret. Vel cum agens ignorat finem suæ actionis, quid honestum sit, quid turpe, quid expediat, nec ne. Si quis adeò obrutuerit, aut talem professus fuerit Ignorantiam, excusationem minimè merebitur; Nam quilibet sanæ mentis homo & rationem habet, ac etiam ejusdem usum debitâ culturâ

culturâ & assuefactione fovere debet, ut ejus ductu quid faciendum sit, quid omittendum, probè exploratum habere possit. Imò verò usque adeò illa principia sunt evidèntia, intimisque Rationis Practicæ fibris infixæ, ut nec ignorari, aut ex animo deleri, nisi per malitiam & perniciosam educationem possint.

XXIX.

Sed dicas reperiri nonnullas Resp. & integras adeò nationes, quæ non tantum omnem humanitatem exuisse, sed insuper communissima Virtutum præcepta, omnesque rectæ Rationis dictamen turpissimâ Ignorantiâ profligasse videantur. Sic *Barbaræ gentes*, Diis suis homines ipsos immolabant. *Lacedæmonij* Adulteria, & Furta præmiis ornabant. Apud *Locrenses*, *Ozolos*, *Aetolos*, & *Acarnanes* Prædationes indulgebantur. *Plut. in Lycurg. Xenoph. de Rep. Laced.* Lex erat *Sardoa*, ut filii parentes senio confectos fustibus cæderent. *Vid. Eras. in Proverb. Ritus Sardonicus ex Collectaneis Zenodoti.* Apud *Indos* mulieres prostituebant corpora, & inde colligebant dotem, ut se ipsos elocare possent: *Ælian. l. 4. Herod. l. 1. Mulier Xanthia* suspendit se de tecto, gerens appensum collo filium, & manu tenens facem, quâ ædes inflammaret. Verum enim verò illa scientia Universalium omnium mentibus penitissimè debet esse impressa, & si, igniculi illi, ut decet, foveantur, non possunt Ignorari turpia, eaque ab Honestis secerni. At improbi ita toti immerfi sunt Vitiis, ut suâ culpâ & amore peccandi reliquias etiam illas Iudicii Practici planè opprimant.

XXX.

Particularium Ignorantia est, quando quis singularia quædam attributa, seu Circumstantias, quibus Actio involuta est, ignorat. Et hæc, modò non sit supina aut af-

festata, excusationem & veniam meretur. Facile enim fit, ut aliquod Circumstantiæ momentum, hoc vel illud attributum Loci, Temporis, Personæ ignoremus, adeoque humana industria non semper habere potest accuratam omnium singularium cognitionem, cum maxima circa rationem in actu sit varietas.

XXXI.

Secundum Scholasticos Doctores Ignorantia alia est *Voluntatem Concomitans*, quando quis ignorans aliquid agit, ubi verò suæ actionis attributa resciscit, ratam nihilominus eam habet. Hæc, cum Voluntas non planè defuerit Ignorantiæ, minimè excusat; diciturque ideò talis *Actio Philosopho specialiter ex causa*. Alia *Voluntatem consequens*, quando quis ignorans quidem agit, sed sic, ut suæ ignorantia ipse sit causa, diciturque *Affectata*. Diversimodè autem hoc fieri potest, quod vel affectu vehementiori sit abreptus, vel vitioso habitu imbutus, vel ut planè ignoret, quod scire poterat & debebat: Quoniam verò antecessit Voluntatis approbatio, & subsequuta est Ignorantia, excusationem illa haut impetrabit. *Voluntatem Antecedens*, quæ ipsa est causa volendi, quod quis aliàs agere non voluisset. Illa verò, quoniam agens circumventus hanc Ignorantiã ita egit, quæ si abfuisset, ita non egisset, excusat.

XXXII.

Supereft denique alia Eorundem tritissima Ignorantiæ in *Vincibilem & Invincibilem* distinctio. Illa est, quando quis ignorat, quæ scire tamen poterat, & sæpenumero etiam debebat. Et hæc, quoniam agens Sponte illam affectavit, pœnam meretur. Hæc vero est, quando quis non potuit scire Actionis suæ singularia, quamvis enixè operam fuisset daturus. Et hæc actionem *Invitam* reddit, modo

modo non tantum in se, sed etiam in sua causa sit invincibilis. Sic Ebrius vino prorsus immerfus, præditus quidem est Ignorantiâ invincibili & simpliciter spectatâ ; oppressus enim graviore crapulâ non potuit Ignorantiâ illam effugere: non verò in suâ causâ ; dedit enim operam rei illicitæ, nimis sc. ingurgitationi, quæ adeò mentem oppressit.

XXXIII.

Et hæc quidem tam copiosè hic proponenda fuerunt, ut exuberiori explicatione Inviti, rectius elucescat Natura Spontanei. Ergo, cum jam ex superioribus liquidum sit, rò Invitum esse, cum primum movens, quod quidem hic nihil aliud est, quàm appetitûs impulsus, foris est, neq; agens, vel patiens quicquam operæ aut adjumenti, h. e. appetitûs, actioni vel passioni conferat, vel ut absit scientia ; Sequetur omninò ex ante determinatis, Spontaneum id esse, in quo his Contrariæ conditiones reperiantur.

XXXIV.

Est vero, ut id definit *Arist. c. 1. l. 3. Eth. Sponte factum, cujus principium est in ipso agente, sciente singula, in quibus est actus.* Duo itaque ad Spontaneum exactissimè ita sumptum requiruntur : 1. Ut à principio intrinseco, appetitûs impulsu sc. proficiscatur, quippe cum id omne dicatur ratione Principii intrinseci Sponte fieri, in quod mediante animi nostri cupiditate aut inclinatione propendemus ; Et hæc ratione à Violento distinguitur. 2. Spontaneum requisitum est, ut præter principium motûs, etiam Intellectus Actio concurrat, ut agens nempe probè perspecta habeat Actionis suæ singularia, si non omnia, ea saltem, in quibus potissimum Actionis illius essentia consistit. Unde quidem apparet ad humanarum actionum principia etiam scientiam, seu, ut alias loqui solemus, *Conscientiam*, quæ

nihil aliud est, quàm ipsius intellectus Practici iudicium,
requiri. Verum ne nimium excrescat Dissertatio ex pro-
fesso hinc de eò agere, hac quidem vice supersedebimus.

XXXV.

Verum cum ad perfectum Spontaneum non solum
appetitum inclinationem, sed etiam Particularium cog-
nitionem requisiverimus, è re erit, imò necessarium, singu-
las hasce Circumstantias, seu τὰ κατ' ἐνάσιν, quæ intrinsecam
& individuam quasi Actionis moralis rationem constituunt,
ordine enumerare. Quarum quidem aliæ Personæ agen-
tis qualitatem, aliæ Causam Sociam, aliæ instrumentalem,
aliæ materialem, aliæ finalem, aliæ opportunitatem tem-
poris & Loci denotant, & vulgato hoc continentur Ver-
ficulo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quem tamen mutavit aliquantulum, ut scilicet septem il-
lis Circumstantiis octava etiam à multiplici reiteratione
desumpta, adderetur, Raimundus de Pennà forti hoc modo:

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, Cur, quomodo, quando.

XXXVI.

Ut igitur propius ad Institutum nostrum devenia-
mus, I. Considerandus est, inquit *Philosophus* τίς, *Quis* a-
gat, cuius sc. excellentiæ & conditionis sit Persona agens,
cujus potestatis, cuius peritiæ, cuius ætatis, cuius sexus.
Cujus quidem rei quadruplicem causam eruditè satis
Thom. in 1. 2da. quest. 75. assignat. II. Circumstantia
vocabulo τίς, *Quid* exprimitur, & denotatur eo ipso mate-
ria actionis, cuius aliquam conditionem fortè ignoret
quis. Ita materiam Actionis suæ ignoravit *Æschylus*, ce-
lebris Poëta Tragicus; ille enim in suis Tragædiis eliminâ-
rat aliquid de sacris Eleusinis, quæ Cereri erant dicata, &
de quibus aliquid in vulgus spargere, nefas erat. Accu-
saba-



fabatur eam ob rem apud Areopagitas: imò totius populi
offensionem incurrebat quod hæc Cereris Initia divul-
gasset, sed excusavit se, quod linguâ vel calamo aberrâs-
set, seque nescivisse dixit, sacro silentio illa omninò fuisse
regenda. Sed hæc Excusatio vix populi furoribus exe-
mit; nisi enim ad aram Bacchi confugisset, populus illum
lapidibus, quos jam corripuerat, obruisset. III. Atten-
dum est *περὶ τῆς*, *Circa quid* versetur Agens; Innuitur hæc
Circumstantiâ qualitas objecti, quæ in omni morali Actio-
ne probè est attendenda. Sic *Concumbere* est una ea-
demque actio, quæ tamen pro diversâ qualitate objecti
detestabilius delictum reddit. Si enim cum maritatâ con-
jungaris, Adulterii; si cum solutâ, Fornicationis; si cum
Consanguineâ, Incestûs; si cum Bestiâ, Sodomixæ nefario
crimini te obligas. IV. & V. *ἐν τίνι πρὸς τίνα*. Hæc parti-
cula & *Loci* & *Temporis* conditionem denotat. Ita mul-
tum refert, an Homicidium factum sit in privatâ domo,
an in Civitate, an in viâ Regiâ, an ante aras, an in Præto-
rio, an juxta Patibulum, an in aulâ & Palatio Principis, an
in Loco sancto & religioso. Nec parum item interest, an
feriatis, an Dominicis diebus aliquid patraveris. Ita li-
cet furem nocturnum interficere, diurnum non item, po-
tes enim tum in clamare auxilia; nisi forte telo instructum
deprehendas. VI. *τίνι οἰόν ὄργανον*. Quâ circumstantiâ,
instrumenta & auxilia, internuncii, adjutores indicantur.
Prout igitur leviori aut validiori usus fueris instrumento,
augeri etiam, minuive delictum potest. Ita circa Instru-
mentum possit error contingere, si quis alterum hastâ læ-
deret, non putans illud hastili fuisse præpilatum, aut ha-
buisse mucronem ferreum. Aut percutiat aliquem lapide,
quem putârat fuisse glebam terræ, adeoque levi pondere
librari posse, aut lapidem spongiosum aut arenosum fuisse.

VII-



VII. § *ἐν τῷ σκοπῷ.* Quo fine, cuius gratiâ quid agatur, diligentissimè in actibus humanis est attendendum. Nam cum omnis actio bonum aliquod intendat, bonum verò & finis ratione appetitûs sint reciproca, tum certè in primis intentio Agentis est inspicienda, quorûm appetitus feratur, & quem finem eligat. Error circa finem contingit, si pharmacum propinatum à Medico decumbentem non pristinis restitueret viribus, sed magis ægrotum redderet. Exemplum ejus etiam habemus in ff. ad Leg. Aquil. Ubi dicitur de Sutore, quod formâ calcei percussit discipulum: Hic vero multo sanguine perfusus, propemodum occæcatus sit. Cæterum cum emendandi causâ id fecerit, non ordinariâ penâ sit quidem afficiendus, nec prorsus tamen impunè hoc factum ferat ratione concomitantis enormitatis & excessûs. IIX. πῶς Quomodo Actio procedat, studiosè etiam observari debet: An vehementi impetu sc. an subito, an leniter, an remissè, quo fraudis dolive gradu, clam, apertè, aliqua Actio instituta fuerit. Et hoc singulare, omnes peccantium inventiones, ut ita loquamur, includit, quarum tot sunt, aut esse possunt, ut Vir bonus, h. e. harum rerum imperitus tam profundam nequitix voraginem pervestigare haut possit. Et hæc sunt illa particularia, quæ delicta triplici ferè ratione seu modo adficiunt, ut vel speciem immutent, vel aggravent, vel elevent. Quæ vero indifferenter adeoque accidentaliter sese habent, hinc non attenduntur. Sicuti nec id ipsum jam anxie inquirimus, quis sit circumscriptus Circumstantiarum numerus.

XXXVII.

Sed dicas, cum Circumstantiæ dicantur à circumstando, eò, quod circumstant Actionem, eique accidant, atque adeò extrinsecus adveniant, quomodo igitur constituent
ejus

eius essentiam, aut ex his actio moralis æstimari poterit ?
Verumenimverò notandum hic est, Actiones dupliciter
considerari posse, vel in genere naturæ, h. e. Physicè, vel
in genere morum, h. e. Moraliter. *Physicè* si eas confide-
raveris, quatenus est in iis principium à termino à quo, ad
terminum ad quem, Circumstantiæ actioni sunt extrinse-
cæ, & ad essentiam ejus non pertinent. *Moraliter* vero
quatenus in iis bonitas aut malitia attenditur, Circum-
stantiæ Actionibus sunt intrinsecæ, & essentiam ab hisce
Actionibus consequuntur. *Vid. Rod. d. Arriaga Disp. Theol.*
Tom. 3. d. 17. Possemus hisce nonnulla etiam de illis Actio-
nibus, quæ ex Ira aut Cupiditate proficiuntur, attexere,
verum cum partim ea ipsa superius fuerint inculcata, par-
tim dilucidè satis à Philosopho proponantur, nobis ad
reliqua Actionum humanarum principia progrediendum
erit, quæ, quàm poterit fieri, brevissimè absolvemus.

XXXVIII.

Spontaneo & Invito explicatis, sequitur *Electio*, quæ
cum Virtuti maximè affinis & conjunctissima res sit, & ex
illâ infallibile morum actionumque judicium desumatur,
absolutissimum meritò, perfectissimumque illarum prin-
cipium appellari poterit. *Est verò Proæresis, desinente A-*
rist. c. 3. l. 3. Eth. deliberata eorum, quæ in nostrâ potestate
sunt, & ad fines pertinent, appetitio. Quàm sanè Definitio-
nem exactè intelligere, est intelligere simul & ipsam Ele-
ctionis naturam, ejusque intimam cum Deliberatione
connexionem, cui, ut accuratius paulò examinetur, lu-
bet pauca ad meliorem illius cognitionem præmittere,
Primò observandum est, Electionem non esse planè idem
quid cum Spontaneo, cum Spontaneum Electione latius
pateat: *Siquidem omne quidem Proæreticum est Spontaneum,*
non verò omne id, quod sponte fit, ex Electione proficiscitur. *Vid.*

D

præ.



præclarè hâc de re differentem Phil. l. 5. Eth. c. 8. Deinde quod Spontaneum repentinis etiam actionibus, non verò Proæresis attribuatur. Ita si Amicum subitò obviam venientem, & fortè diu non visum alloqueremur, Sponte & maximè volentes id ageremus, non verò προαιρετικῶς, cum nulla Electio præcesserit. Deniq̄, Actum eligendi non cadere in pueros & bruta: Cum enim illi exercitiorationis, hæc illâ omni prorsus destituantur, atque naturâ suâ insuper ad unum tantum, nisi quid obstiterit, determinata sint, non poterunt Collationem eorum, quæ se nobis eligenda objiciunt, veluti unius mediæ cum alio, & mediæ vicissim cum fine, concinnè instituere. Et vero licet bruta, cum pascuntur, ex diversissimis herbarū generibus, quæ palato maximè arriserint, decerpant, non unam tamen præ alterâ eligunt, nisi vocabulo προαιρεσιως abutaris, cum solius naturæ ductu & inclinatione ad gratius invitentur, ab ingrato retrahantur.

XXXIX.

Quando igitur προαιρεσιως genus *Appetitio* constituitur, facilè hinc colligitur, illam in se spectatam non ad Intellectum propriè, sed ad Voluntatem pertinere. Et vero licet nihil eligamus, nisi antecesserit Actus aliquis Intellectus, seu Inquisitio ex deliberatione profecta, quæ appetitionem in Eligendo justis includat limitibus, tamen præcisè & in se spectata, est Actus Voluntatis: *Vti enim judicium, ceu princeps operatio Intellectus, non potest esse actus Voluntatis, ita nec Appetitio, quæ in Inclinatione ac motu formaliter residet, potest esse Actus Intellectus.* Uti id pluribus solidissimè l. c. κατ' ἀρσιν, quæ inquam Electioni non competunt, Philosophus demonstrat. Requiritur deinde ut Electio illa sit βουλευτικὴ ὄρεξις, ex Consultatione proveniens *Appetitio.* Quo ipso innuitur, non esse quemvis Voluntatis

tatis

tatis actum, sed talem, quem præcessit Deliberatio. Nam tum demum eligit *προαίρεσις*, ubi intellectus, cognitione qualicunque factâ aliquid bonum esse judicaverit, sive illud sit verum, sive apparens: Unde etiam vel bona oritur, vel mala *αγαθήσις*.

XL.

Postremis denique Verbis, *quæ in nostrâ potestate sunt, & ad finem pertinent*, Objectum Electionis explicatur. Non igitur eliguntur Res sempiternæ & Necessariæ, Fortuitæ, aut Viribus nostris impares, nec fines denique, sed 1. tales, *quæ sunt Possibiles*. Cum enim eorum, quæ sub Electionem cadunt, adminiculo felicius finem velimus assequi, debere illud omninò esse aliquid, quod in actum deduci possit, manifestum est. Cumque in Proæresi æqualiter & indifferenter ad utramque Eligendorum partem nos habeamus, ad Impossibilia vero nostrum non assurgat arbitrium, ea demum, quæ fieri possunt, Electione appetentur. 2. *Eorum etiam, quæ à Nobis fieri possunt est Proæresis*. Cum enim Eligere, sit rem agere velle completo Voluntatis exercitio, nemo certè ea, quæ virium & facultatum terminos excedunt, nisi frustrari forsan cupiat desiderium, aut stultitiam suam prodere, poterit eligere, 3. *Mediorum, non Finis est Electio*. Cum enim Finis in Practicis sit principium, *ut l. 7. Eth. c. 8.* docetur, adeoque sufficientissimam & nativam in sese bonitatem habeat, Voluntatis inclinatio promptissimè, nec ullo præclarioris boni respectu habito in eum fertur. Nihil tamen obstat, quo minus finis etiam, sed subordinati, & ita naturam medii induentis, possit esse Electio. *Vid. Thom. 1. 2. quest. 13. Art. 3.* Et hæc de Electione.

XLI.

Succedit Tertium Actionum nostrarum Principium,

D 2

Consul-



*Consultatio videlicet, quæ est mediorum, quorum ope propositus
finis quàm felicissimè obrineri possit, diligens & exacta inquisi-
tio. Ut vero in illius essentiam eò penitus deveniamus,
observandum est, Consultationem non esse Actum Volunta-
tis. Cum enim Deliberare nihil sit aliud, quàm prævia dili-
gentiori inquisitione & prudenti Collatione, quid in re quâpiam
facto opus sit, dijudicare, Consultatio utique ad intellectum,
utpote cuius hæc præcipua sunt officia, pertinebit.*

XLII.

Ut vero Res, de quibus deliberatio solet institui, exa-
ctius cognoscamus, in ipso statim limine stolidas stultorum
Consultationes removebimus. Illas vero omnes, quæ in
rerum Universitate continentur, ad quatuor classes revo-
cabimus. Omnes videlicet res in duplici sunt differen-
tiâ, vel enim eodem modo constanterque se habent, vel
diverso. Quæ hoc, aut à *Naturâ*, aut à *Fortunâ*, aut ab *Ho-
mine*: quæ illo, vel à *Necessitate*, vel à *Naturâ* proficiscun-
tur. Non vero ea, quæ, I. à *Necessitate* profluunt, cum
sint æterna, & omnis mutationis expertia, uti *Mundus*,
(ex sententiâ Aristoteleâ) & quæ ex *Mathesi* petit exem-
pla *Philosophus*. Nec II. Res merè *Naturales*, quæ sunt
ἐκ φύσεως, uti loquitur Aristoteles. Nam nobilissima &
communissima affectio *Naturalium* est motus, ut sunt, *Or-
tus & occasus Solis*, *conversio corporum coelestium*, ejus-
que generis alia. Nec. III. Quæ à fortunæ temeritate
dependent, ut *effossio thesauri*, aut *aurei tripodis inven-
tio*. Sed IV, illa demum, quæ à mente & voluntate ho-
minis promanant, quorumque *Is* esse possit principium.
Ex hominibus enim, inquit c. 3. *quisq; deliberat de iis, quæ ab
ipso fieri possunt.*

XLIII.

De iis enim, quæ ad nos non pertinent, aut à nobis
fieri

feri nequeunt, parum sumus solliciti. Ecquis enim nostrum, quomodo e. g. *Schyrtarum*, *Chinensium* Respubl. aut *Asiaticum* forsean *Regnum* commodè administrari possit, deliberat? Immunia etiam Consultationis sunt præterita. Cum enim quod semel admissum est, revocari reprimique non possit, *Cic. l. 1. de Finib. & secundum vulgatissimos Agathon. versiculos*

*Re namq̄ solâ hac ipse privetur Deus,
Ut facta non infecta possit reddere:*

Adeoq̄ue cum eorum exitus non sit in nostro arbitrio; nihil utique illis ex Consultatione subsequente poterit accedere. *l. 6. Eth. c. 2.* Nec ipsi etiam *fines*, sed *media* ad finem ducentia sub Consultationem cadunt. *Sicuti enim omnis demonstratio principia, ita Consultatio finem principii loco præsupponit. l. 2. End. c. 10.* Adeoq̄ue nec *Orator* an disertâ oratione velit persuadere, nec *Politicus* an bonis legibus statum Reipubl. illibatum conservare, nec *Dux Bellicus*, utrum *Victoriam* velit obtinere, nec ne, sed quibus ad impetranda illa uti velint mediis, de iis Consultationem solent instituere. Sed nec illa omnia, quæ sensibus patent, quæ sunt manifestissima singularia, sub inquisitionem veniunt: Ut an *Mons Bruçterus* in *Saxoniâ* sit altissimus: An multis nominibus imminutum sit *Imperium Romanum*, sitne hoc panis, & an rectè coctus. De his, cum sensibus sint obvia, non consultamus.

XLIV.

Genuina igitur sanæ Consultationis objecta erunt, quæ plerumq̄ue usu veniunt, & exitus incertos habent, hoc est, quæ vel benè, vel malè, vel tardè, vel citò, vel melius, vel optimè à nobis fieri possunt. De his enim, ut congruè fiant, vel soli, vel cum aliis deliberamus.

D 3

XLV.

XLV.

Postquam ita, quæ sub consultationem veniunt, determinavimus, modum etiam & ordinem procedendi in Deliberatione paucis attexemus. Cum ita finis, seu principium rerum agendarum fixum est, tunc vero solemus de mediis inire deliberationem. Per *Media* autem *tum Instrumenta* eorumque usum, quibus res confici potest, *tum Amicorum operas*, intelligimus. Occurrunt verò vel plura media, vel unum: Sin plura, dispiciendum est illud, per quod felicissimè, minimo cum sumptu, molestiâ, aut Labore fine nostro potiri queamus: Sin ad unum Consultatio devenit, quâ ratione & illius adminiculo quàm aptissimè finem obtinere possimus, considerandum est. *Et veluti in Geometricis diagrammatum resolutio fit; Ita ultimum, ad quod disquisitionis & resolutionis nostræ ministerio pervenimus, Executionis est exordium.*

XLVI.

Quomodo autem ea, quæ in Intentione priora sunt, in Executione posteriora fiant, & vice versâ, operæ pretium erit, exemplo aliquo ostendere. Aegroti, e. g. prima Intentio est (1) *Sanitas*, quæ cum votis & desideriis obtineri non possit, objicitur ei, (2) *Medicamentum*, jam quia nescit, cujusmodi id esse debeat, desideratur ab eo (3) *Medicamenti descriptio*, quæ quoniam apud quemvis haberi nequeat, objicitur ejus cogitationibus (4) *Medicus*, qui cum absens sit, accersendus est ab aliquo, hinc (5) de *Famulo* est sollicitus, qui (6) *mittitur*, ut vocet Medicum. Atque ita *missio* illa *famuli* in intentionis quidem ordine est ultimum. Quando autem ad Executionem jam devenitur, inverso penitus ordine proceditur, atque ex ultimis prima, ex primis ultima fiunt. Ecce enim (1) *mittitur famulus* (2) *accersit Medicum* (3) *Medicus venit, & pharmacem aut dietam prescribit.* (4) *Illud jam confectum ægroto*
exhi-

exhibetur. (5) idem jam operari incipit sanitatem, atque tandem (6) Sanitas, ad quam prima vergebat intentio, primum desiderium, acquiritur & obtinetur. Sequitur Voluntas.

XLVII.

Ultimum Actionum nostrarum Principium est *Voluntas*, qua est boni cum ratione appetitio. 1. Rhet. c. 10. v. 17. Voluntatis autem consideratio dupliciter vulgò in Ethicis suscipitur. Altera est, cum de eâ, ceu potentiâ & facultate animæ rationalis essentiali, Intellectui contradistinctâ nonnulli docent. Sed altera *Aristotelis* menti convenientior, & hujus loci propria est, cum pro appetitivæ facultatis Usu & operatione sumitur, ut ab eâ Actiones morales, vel voluntariæ vel non voluntariæ nuncupentur. Ut verò rectius intelligatur, quatenus Actus exteriores à Voluntate dependeant, paucissimis illud perstringemus.

XLVIII.

Modus, quo aliquid *Velle* dicimur, duplex est, *Directus* & *Indirectus*. Ille est, cum Voluntas simpliciter, licet aliarum potentiarum sociato ministerio, sive etiam id fiat *Actu Elicito*, sive *Imperato*, aliquid exsequitur. Ut si quis vult Medicinâ uti, & convalescere: Alter modus est, cum quidem Actus aliquis à Voluntate, ut causa agente proximâ & efficiente nō dependet, hanc tamen, quod facere potuit, nō impedivit. Ut si quis videat ædes esse conflagraturas, nisi ignis alimenta removerit, nec tamen illa removeat. Quot modis autem id fieri possit, vide luculentius apud *Thom. 2. 2. quest. 62. art. 7. B. D. Hornejum, Phil. Moral. p. 354.*

XLIX.

Voluntatis autem objectum non est solum *Verum bonum*, uti Socratici opinabantur; Alias enim id, quod pravus aliquis, & non rectè appetens veller, minimè diceretur *Voluntate appeti-*


bile: *Neq. solum Apparens, uti Academici, quia alias nullum
esset bonum naturâ; Sed utrumq.* Ita tamen, ut Vir bonus
& sapiens Voluntate suâ circa Verum, is verò cui Affectus
dominantur, & qui vitioso habitu occæcatus est, circa Ap-
parens bonum sit occupatus. Ille enim, cum sit veluti Ly-
dius lapis, & ipsissima rerum in Civili societate expetenda-
rum norma & mensura, solus rectè appetit. Hic vero cum
ita vitiosis desideriis totus sit corruptus, turpiter ab eo,
quod revera expetendum erat, desciscit. *3. Eth. c. 4.* Auge-
tur autem & imminuitur ratio Voluntarii, prout aliquis
Actiones, vel ex malitiâ, ac vitioso habitu, vel errore se-
ductus, vel abreptus Affectuum vehementiâ & imbecilli-
tate humanâ, exercet.


L.

Tandem, ut supremam Dissertationi imponamus
manum, asserimus cum *Philosopho, 1. Voluntatem etiam esse
τῆν ἀδυνάτων*: Ita plurimi repuerascere, aut immortales es-
se cupiunt. *2. Voluntatem non tantum ad propria, sed aliena e-
tiam se extendere*: Ita ut hic vel ille Histrio aut Athleta pal-
mam reportet, aut coronetur, anxie interdum volumus.
3. Voluntatem potissimum finis esse, non mediorum. Cum enim
ratio boni in solo fine absolutè reperiatur, in mediis verò
non nisi respectu ad finem, hinc Voluntas finem præcipuè,
non media appetit. *l. 3. Eth. c. 2.* *4. Voluntatem, quoad a-
ctus Elicitos, numquam posse cogi, h. e. Vi ad aliquid agen-
dum adigi.* Elicere enim talem actum, qui non sit secun-
dum Voluntatis inclinationem, sed ipsi potius adversetur,
nullâ ratione potest fieri. Ex quibus proprietatibus
cùm Voluntatis natura cognosci, tum il-
lius & *ωραρίεστος* differentia in-
telligi poterit.

T A N T U M.







21

Q. B. V.
DISSERTATIO MORALIS
DE
PRINCIPIIS A-
CTIONVM HVMA-
NARVM

Q U A M
D. O. M. A.

P R A E S I D E
SAMVELE RACHELIO
Phil. Moral. P.P. Ord.

IN ILLVSTRI AD ELMVM IVLIA
Publica Eruditorum disquisitioni subicit
DANIEL NESSELIVS
Lunenburgicus,

In Aula Majori
ad d. XXV. Febr.



HELMESTADII
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typog.
c1515c LX.

